Crac. Stud. Univ. Jagell.
Promotiones Phil. Ord.
1655 22 Martii.

Gedzicki Thomae: Janus biceps XVII. Juvenes in Artibus et Philosophia primam lauream prensantes frondibus Apollineis condecorans.

IANVS BICEPS XVII.

Iuuenes in Artibus & Philosophia Primam Lauream prensantes frondibus Apollineis *Condecorans*,

EX

Parnasso Iagelloniano in Lucem publicam

EDVCTVS

Per

V. THOMAM GĘDZICKI,

Eiusdem Laureæ Candidatum,

Anno à Christo Nato 1655.


Mense Martio

Die 22.

CRACOVIÆ,

In Officina Viduæ & Hæredum Francisci Cæsarij, S. R. M. Typographi.

IN STEMMA
Inclytæ Matris Academiæ.



REgia Sceptra vides? Miſeris ſuccurrere res eſt
Regia; ſceptra ferunt ſubſidium miſeris;
Regia ſceptra vides? Patriam defendere res eſt
Regia; defendunt robore, conſilio
Regia ſceptra vides? delubra Dei regere res eſt
Regia; ſceptra regunt, condecorantq́; fidem,
Regia Sceptra vides? Diuos non temnere res eſt
Regia; ſceptra vetus ſunt pietatis opus
Omne quod ad nutum, poſſit res Regia dici
Eſſe id iam totum! Regia ſceptra vides?

Magnifico & Clarissimo

Domino,

D. GABRIELI OCHOCKI,

Philosophiæ & Medicinæ Doctori,

CONSVLI CRACOVIENSI,

Studij Generalis Vniuersitatis Cracouiensis, RECTORI vigilantissimo, Auunculo obseruandissimo, & Mœcenati amplissimo S. & F.

VErebar non mediocriter cõspectui Tuo rude hoc ingenij specimen præsentare M. D. RECTOR, *sed Ianus quem è Parnasso Iagellonis in lucẽ publicam eduxi, ad innatæ Virtutis Tuæ fores pandens aditum Tibi Opportunius non alteri voluit sacrari itaq; ex animi mei sententia commodius cessit, quod & ego Cliens, &* IANVS *meus sub protectionem Tuam veniamus. Ego equidem pigmæorum instar facio, illi etenim quibus simulacra Deorum adire non licuit, corymbos à longè porrigebant, non nihil gratiæ obtenturi, mihi sanè cùm per Augustum Magnificentiæ Tuæ conspectum adire reformidem Biceps beneuolentiæ ergo præmittendus erat. Exactam siquidem in otio literario ætatis teneræ rationem cui redderem pleniùs, neminem præter Te Magnifice Domine reperi, qui cum literis vt lumen, Mæonidum Sacrario vt Numen præsis, etiam mihi rudi Musarum Alumno à longe licet vti seruo humillimo venienti, haud dubié Munificen-*

tiæ Tuæ concedes portionem. Scio Te in eo dignitatum gradu esse positum, qui Vrbis huius Poloniarum Principis & fulcrum es nobilissimum & Almæ Matris Academiæ columen præstantissimum: sed scio & Te hoc vtroque virtutum munere clarissimo ita gaudere, vt non magis magnus quàm benignus habeare. Habet hoc à natura insitum Sol astrorum princeps, qui omnibus æquè lucem ac vitam impertitur, vt non parciùs inopum casulis quàm Magnatum ædibus affulgeat: Tu humanitate eidem es simillimus cui eò celeriùs me Clientem subijcio. Ianus vero meus ea spe Magnifice Domine Tuos lares adijt, vt cum è Iagellonis sit eductus emporio, cuius Tu præses es dignissimus benignè eum pro vera sobole recipias, quatenus se maior, fauoris Tui patrocinio tutus, lucem securior aspiciat. Patere itaq; vtrumq; in conspectum venire, & non modo Vrbi huic inclytæ vt Consul, sed & Almæ Vniuersitati, vt RECTOR *vigilantissimus, optimè consulere, perge, annos victure Nestoreos. Sic Tibi Colendissimo Auunculo vouet intimus seruus, sic precatur & optat Mecænati amplissimo infimus Cliens.*

THOMAS GĘDZICKI Primæ Laureæ Candidatus

ODE

O D E
Tricolos Triſtrophos.
I N
Examine Laboris ſuſcepti Gratitudinem & Venerationem Exhibens.

Clariſſimis & Excellentiſſimis D. D.
Examinatoribus,
D. IOANNI RACKI,
Philoſophiæ Doctori, ac Regio Profeſſori, Facultatis Artiſticæ Decano.

Et Admodum Rev. D.
STANISLAO TEMBERSKI,
Philoſophiæ Doctori, Regio Profeſſori ad S. Annam Canonico Collegis Maioribus, &c.

E. D. IOANNI CZERNEK,
Philoſophiæ Doctori Collegæ Minori, Laureæ primæ Candidatorum Patronis Colendiſſimis.

RAcki Vir Venerande Sophos regitare facultas
Cûi vel regendi Palladem
Munus obire datum est.
Quæ Te sufficiens referet per sydera fama,
Appendet & doctum tholis
Nomen in æthereis!
Siue suâ Sophiæ Veheret Te Pegasus Argo
Et Zetus & Tiphis Tibi
Subdere Regna parant.
Si vel Aquinatis nisu speculâbére cælos
Docto fauebit Præsidi
Doctus ab axe Chorus.
Si vel in Hesperidum cuperes fors degere campis
Pridem merenti debitum
Cedet Apollo locum,
Vel si Tullioli volet inter xysta locare
Te Roma Musæos sales
Diues vt ore pluas.
Posses, sed decorent Latiales se sibi Musæ
Debes paternis sedibus
Plurima; pauca alijs
Dotibus his tantis Patriam quàm dulcitèr ornes
Nos adsumus testes creas
Quos Patriæ ad columen,
Simus at vt grati longum Tibi Viue precamur,
Tutor Lycæi longior
Nestore, Viue dies.
Tu Christi niueis Temberski ornate corollis
Qui mite Sacræ Vineæ,
Mystes ouile colis

Doctus es impauidos fidei torquere rudentes.
Quosuis ab ipsa pellere
Doctus es arte dolos.
Doctus es Hæreseos falsas disperdere technas
Quas Dis Stygis diræ Vomit
Osq; triforme canis.
Doctus es in quamuis Vigilem te vertere partem,
Certam dare erranti viam,
Dogma docere rudes.
Ex labyrinthæo felix Ariadne recessu,
Dum deuios nos nunc facis
Gressibus ire bonis.
Stabit apud memores gracilis Tua gratia facti,
Quam sors nequit si reddere
Mens, animusq; dabit.
Struxerat hoc primæua Polos natura tenore
Furuos vt ad aduersâ situs
Sub regione Colant.
Quò magis huic styx ima tenet, manesq; profundi;
Hoc celsior plus alter, vt
Irradiaret humum.
Sic Tua sic Czernek certat virtusq; decusq;
Hòc altius fundum petit,
Quò magis illa nitet.
Quò Premisliaca assurgit magè celsior Arctos
Hoc tunc magis virtus Tua
Pulchra decore viget
Irradiat stellas velut inter Luna minores
Sic particeps Virtus Tua
Sumit ab axe iubar.

Hoc

Hoc iubare auricomo plenus, veluti Duce mentes
Nostris ab offensis viis
Arte dabas reduces,
Atropos ergo polos donec per stamina ducet
Longæua: nullo inte excidet
Nostra die pietas.

I.
V. STANISLAO BENEDICTO VMIENNSKI.
O D E.
Dicolos Tetrastrophos.

COllibus cesſit niuium vorago,
Albicant non iam rigidis pruinis
Prata, nec glaucus Boreas refusas
Congelat vndas.
Altiùs misſis propior Trioni
Phœbus eductus vehitur quadrigis,
Arua vulturnis redeunte vere
Temperat Austris.
Tempe vestitur viduata flore
Terra flagranti recreatur æstu
Garrit & pasſim tremulis loquax gar-
ritibus arbos.
Ianus in circo resſidens Hymetti
Delphicos postes aperit Priapus
Pro coronandis violas Lyæas
Spondet Ephæbis.

Chlo-

Chloris Aſcræo comitata cætu
Ad citi ripas remeans Cayſtri,
Hic erunt, fatur, comites Sorores
Serta paranda:
Hâc Iagellonis veneranda pubes
Ibit, & laurum meritis laborum
Exiget partam, properando Alumnæ
Nectite Laurum.
Prodit VMIENSKI Duce, præmiandi
Quo ſimul cuncti veniunt. At ille
Artis & Martis ſocius mererur
Munera primus.
Ille Bellonæ ſpecimen dicatum
Suſtulit noſtræ retulit Mineruæ
Martiæ vt cedant lititata Diuæ
Arma Togatæ.
Et ſago, & Lauru redimitus ille
Et Dei cultum, & Patriæ ſalutem
Dotibus nuſquam genij tueri
Negliget Aiax.

II.

V. MATTHIÆ AVGVSTINO WOLSKI,

Ordinis Canonicorum Regularium
SS. Sepulchri Dñi. Hieroſolymitani
Conuentus Miechouienſi Profeſſo.

Symbo-

Symbolon.

V*Irgâ Aaron primum sibi quondam est nactus honorem*
Secutus omen Mysticum
Virga licet tenui à matrice recisa virebat
Cuius comas florum Dea
Choris inornarat: Laurus suffusa virore
Vernare longos dat dies.
Immortale decus merito te dixero proinde,
Apollo cui Laurum exhibet.
Quæ quamuis niuib; tellurem compleat Arctos
Fructu virescet prodiga.
Hanc cum iam referes Laurum Permessida Suadæ
Ab ore vernabunt rosæ
Et violæ: Christo sacrum his frondescet ouile
Terris & vsum conferent
Tu modo Sicelidum sata pinguia pinge virore
Quod aget, bonum id totum dabis.

IV.

V. IOSEPHO FRANCISCO SZCVCKI Cracou.

Epigramma.

QVod Vasto Abderitis recessit Antro
Seclôrum latebris & inuolutum
Ac terræ fuit abditum Chao tunc

Hoc

Hoc totum Sophico patescit astu
Per te non reus es tenebricosi
Doctarum radij Scientiarum.
Nil cures Sophisim tenebricosam
Hanc Laurum capito. Tenebis Astra
Ipso iam Phàëtonte maior Atlas.

V.

V. HYACINTO DĄBROWSKI,
Epigramma.

Non Gazæ Attalicæ, non diues aceruus & auri
Æquuant virtutem, sola Minerua facit.
Stent cuiquam centum laris ampla Theatra Columnis
Sunt nihil hæc ornant sola Minerua domum.
Sint famuli, cingant longo latus ordine cætus,
Nil prosunt; decorat sola Minerua Sophos
Hæc Dea sola potens, nihili Cræsus habetur?
Ditior hanc genuit doctus Apollo sibi
Parue (nec inuideo) lucraris præmia magna
Offert dum Laurum diues Apollo tibi
Hinc & tu famulis, auro dominâbêre & astris.
Virtute ingenij fors Deus alter eris.

VI.

V. STANISLAO ZELA-ZOWSKI,

post Archid. Cath. Posnan. librorum censor et author in publ.

Epi-

Epigramma.

IMperium patrijs pensauit Horatius. aruis
Albano Rigidæ cum daret ense neci
Hinc illi manauit honor, manauit ab hoste
Euicto victrix gloria, fama decus.
Tu potis es genio sophos prosternere gryphos
Fortius ex Lauro Nestore robur habes
Eia age mille volent licet hostis spicula & artes
Palladis arte potes sternere mille dolos
Viribus inuictus prostrauit Horatius hostes
Hostis Laurigero. Sed tuus ore cadet.

VII.

V. CASIMIRO IARO-SZOWIC,

Epigramma.

DVm bibit Iris aquas, dum flumina radit hirundo
Obfuscat fragiles mentis Olympus opes
Sed quem serta ornant mæstas cum nubibus Vmbras,
Est potis in Claros vertere in axe dies.
Nam Pallas solitum cursu dum inuisit Olympum,
Nubila detergit, discutit igne Chaos.
Pallas amœna comas, tibi dum Parnasside cingit
Non oberit tenebris Iris, hirundo Vadis.

VIII.

V. MARTINO IARMVLSKI.

Epigramma.

GLoria Gothfrido fertur struxisse Colossos
Munere Tullioli quem decorauit honos,
Filius hic Comitis florebat acumine fandi
Dictus erat Latij magna Corona sui
Nate Iagellonidæ Nostræ quoq; Matris Ephæbe
Dona dat hæc, possis natus vt esse suus.
Mater erit semper cuius tibi gloria cedit
Vt tua sed Matri gloria cedat, age.

IX.

V. STANISLAO WOLSKI.

Epigramma.

IMmortale capis laurus velamine nomen
Non tuus enodi caudice turget honos
Augerij quod erat nomio de puluere natum
Nomen id in laudes vertitur omne tuas
Augerius nomen cur sit de puluere nactus
Immortale sibi Phœbus erat Latio?
Nam Nomius studiorum è puluere dictus Apollo
Illuxit Patriæ lumen ab ingenio
Palladis an nostræ tu non de puluere natus
Dicier hinc Patriæ verus Apollo potes

Augerij nomen Latijs clarescat in oris
Splendescet Lechico clarus Apollo polo.

X.

V. IACOBO KOSINSKI

Epigramma.

MVnera miles habet pro vulnere digna; labore
Sed quæ tuo parta merx tibi? Laurus adest
Viribus & virtute nouos lucramur honores
Vis perit at virtus Lauri in honore viget
Milite tu tantùm maior, quantùm peritura
Gloria, perpetuæ cedit honore suo.

XI.

V. ANDREÆ SINDLAROWIC,

Epigramma.

LAudantur Fabij, titulos venerantur Vlysses
Plus multo Lauru cinctus Homerus ouat
Laus alios teneat Lauri decus astra stupescunt
Hos splendens potis es vincere & astra sibi
Vincere nonne potes! victores sola Corymbus
Efficit, hanc meritus tu tibi victor eris.

XII.

XII.

V. CASIMIRO IRASZOWSKI,

O D E.

Dicolos Distrophos.

GVtture forte loquax viridem Laurum timet anser
    Laurus obest ardentibus aluis,
Forte verendus eris tum multum forte timendus
    Quem virtus stephanomate icornat
Est bene: falsiloquax velit vt clangore nocere
    Zoilus, hæc ad serta pauescet
Mosibus efficietque suis nihil anser acutis
    Nam Laurus rabiem compescit
Si quis ad irarum sæuum in te fuderit ignem
    Visis frondibus his Lauri mox
Flammiuomis prius hic aluis rumpetur in iras
    Finiet & post stamina linguæ
Tanta subest Lauro vis? tantâ ô sorte beatus!
    Vtere, momisqué excute morsum

XIII.

V. STANISLAO LORKOWIK,

Heptasyllbicon.

POtente mordet astro
Fortuna te leuis, nec

Sinit superuehi per
Virtutis alta dona
At has vices Corymbus
Quâ cinxeris rependet
Pyras, & hæc triumphos
Legum absilit fugaci
Rotâ. Sed Alma Laurus
Ad turris arduæ instar,
Facit viros potentes;
Fortuna res caducas
Virtutibus affluentis
Regit, sed ista nomen
Hæc umbra, puluis, hæc sed
Est splendor æuiternus
Quare hâc recinge frontem

XIV.

V. VALENTINO POLITINSKI,

Epigramma.

TEmpus erat pridem ruditatem mentis inertem
Tempus Apollineis subdere colla iugis
O qui Thymbræis resides Pater accola syluis
Atque soles genios excoluisse rudes.

Est

Est data cui Lauru (dignos) ornare potestas
Ne permitte tuis iungere posse Choris
Audijt hæc facilis; Nostræ (post fatur Apollo)
Matris Alumne caput porrige, serta cape
Non bona dona tibi desunt, nec dotibus vsus
Multa potes genio plura labore feres
(Corrueret) Corruet cœlum rueretque grauamine tellus
In caput. Hinc Matri gratus adesse stude.

XV.

V. PAVLO ŁASICKI.

O D E.

Tricolos Tetrastrophos.

ASTRÆA quam mortale nefas humo
Fugauit ei cœlo, Leo quam suis
Ad regna Regis denotantis,
Applicuit thalamis refertam.
Vt omne fas æquumq́ furoribus
Sancita tot periura domantibus
Iuste benignâ iudicando
Lege reposceret æquitatis
Hæc Laureatis cedit honoribus
Lycurgianas cedit adoreas
Leges daturo Laureato
Cedit honoris in axe sedem,

 Quas

Quas nunc feres grates? siste sed mora
Primæ Dearum? condidit arbiter
Qui vel polorum regna, regna
Vel patuli orbis habent Olympos
Fecit tueri: sit teneat plaga
Hanc certa cæli, tum quod ab hinc datum
Pro lance sincerâ regendum
Astridea regat illa rectrix

XVI.

V. MATTHIÆ NIEDZIELSKI.

O D E

Dicolos Tetrastrophos.

TEllus, pontus, & aer vaga flammaque
Dum mundum statuunt, congeriem sophi
Vnam hanc esse putant, sed quatuor suo
Vult lis ista frui statu.
Vt lis sustulit exorta Chaos vetus,
Pulchro hinc extitit in cardine mundus, &
In scænas quatuor lite recondita
Partibus solidus nitet
Si fallax fidei truserit hæresis

Mistum

Mistum Schisma, fidem & schismate complue
Immiscere velis discuties bono
Lauri Litigio Chaos
Et tunc Schismaticum litis vbi dolum
Sanctæ lite recompresseris ad Polos
Ciuis non laude feret? qui benè taliter
Mundum constitues nouum.

XVII.
V. MARTINO ZRO-DŁOWIC.

Epigramma.

VLtimus es! forsan turbaris mente sinistra?
Turbat an ingelido pectore membra pudor
Vltimus est miles, belli autor primus habetur
Miles in arma ruit, Dux & in arma ruit
Ille sibi petit, ille sibi vt victoria cedat
Cedit & illa Duci, miles habetq; parem
Vltimus æqualem primo quod cedat honorem
Non ideo prior est; victor vterq; simul
Sat tibi postremo poteras qui primus haberi
Quod possis alios æquiparare Tibi

V. STANISLAVS BENEDICTVS VMIENSKI.

V. THOMÆ GĘDZICKI

Concandidato, Lyrâ Heroicâ cussum vectigal reciprocâ fauoris propensione offert.

PRæclaras subijsse vices placidique laboris
Ferre iugum, studij metam proponere fixam
GĘDZICCI est fortuna tibi cui iure secundo
Ingenium natura dedit, conamine pulchro
Ars bona perfecit, virides solidata per annos
Tu decus hâc quondã splendebis in Vrbe futurũ
Atque tuis optata diu solatia pandes
Ambrosium Musæ pendunt tibi fonte fluentum
Cui super acciduæ nidum fecêre Camænæ
Dulcisonam suaui gnarus de pectine vocem
Ducere iucundo geminare & barbita buxo
Cui refluens Helicon Parnassi collis & aucti
Exuberans myrto gestit decorare capillos

Lau-

Laurea ſerta tuo nectens in vertice vatum
Innumerum fauſto deducit more ſerenam
Inducens faciem, riſus, & Apollo ſalutat
Ore melos grato fuſum carmenque Maronis
Et tua ſub tremulo diſcurrens pollice corda
Incipit argutis depromere cantica neruis
Oraque per voces diſſoluere grata canoras
Lætior ergo tuam mentem compone Mineruæ
In laudem ſtudioſus amor, nomenque vocauit
Et tua ſerta pio ſemper decorata nitore
Marceſcent nunquam aſt æternâ ſorte vireſcent.

F I N I S.

Permissu

Ac Felicibus Auspicijs

MAGNIFICI ET CLARISSIMI DOMINI

D. G. OCHOCKI,

Philosophiæ & Medicinæ Doctoris ac Professoris.

CONSVLIS CRACOVIÆ.

Almæ Vniuersitatis Cracouiensis Vigilantissimi

RECTORIS.